

ratione, in rebus parvæ æstimationis, et supervacaneis monasterio, quanquam in hoc etiam non possimus aliam regulam nisi prudentiam assignare, quia nulla certa quantitas absolute limitata est; regulis ergo superius positis et cum proportione applicatis utendum est. Posterior autem alienandi modus sæpius potest esse conveniens, quanquam etiam debeat rarior in his bonis quam in fructibus, qui usu consumuntur, quia quo res ipsæ majorem habent stabilitatem, eo etiam eorum dominium, vel possessio majorem firmitatem postulare videtur; tum etiam quia hæc res ex suo genere solent esse gratiosiores, et habere meliorem usum in uno individuo, quam in alio; ac denique venditio vel commutatio talium rerum raro solet esse utilis monasterio, nisi in aliqua gravi necessitate, vel nisi in alias utiliores commutetur.

18. *De potestate alienandi immobilia.* — Ostenditur hanc etiam potestatem fuisse in Prælati jure antiquo. — Hinc tandem immobilium alienatio ex suo genere difficilior est, quia talia bona solent esse quasi fundamenta monasterii in his quæ ad usum et conservationem corporum pertinent, sine quibus spiritualia non possunt subsistere. Unde fit, ut nunquam fuerit in potestate Prælatorum talia bona ita distrahere, ut monasterium omnino illis privetur sine æquivalenti vel meliori compensatione, quia hæc non esset administratio, sed dissipatio bonorum, Prælato autem tantum data est potestas administrandi, non in destructionem, sed in ædificationem (ut verba Pauli, 2 Corinth. 13, usurpem). Nihilominus tamen non omnino caret Prælati, ex vi juris communis, potestate alienandi hæc bona, quia si alienatio sit in utilitatem, etiam continebitur sub regula in dicto c. *Nullam*; quia verba generalia sunt, et nullo alio jure antiquo fit illa exceptio; nec ratio cogit ad illam admittendam; quin potius, si superius factæ pro licitis alienationibus mobilium, convenienter applicentur, etiam ostendunt hujus facultatis necessitatem, supposita monarchia antiquorum monasteriorum. Quod erit evidentius, si nomen alienationis aliquantulum extendamus; in rigurosa enim significatione importat venditionem, donationem, vel quamcumque aliam similem actionem, per quam dominium rei in alium transfertur; latius autem solet extendi illa vox ad locationem, vel conductionem, et alios similes contractus, per quos usus vel ususfructus rei, vel dominium utile ejus perpetuo, vel ad aliquod cer-

tum tempus sub aliquo onere seu pensione alienatur, juxta ea quæ statim dicemus, et constat ex c. *Nulli*, de Rebus Eccles. non alien., et l. ult., C. de Rebus alienis non alienandis, et Auth. de Non alienandis, § *Nos igitur*, vers. *Alienationes*, collat. 2. Manifestum autem est in monasteriis habentibus bona immobilia necessarium sæpe esse hujusmodi contractus facere; ergo necesse fuit potestatem administrandi Prælato concessam ad hujusmodi actiones extendi, sub limitatione posita in dicto cap. *Nullam*, nam in his bonis est maxime necessaria.

19. *Quæ solemnitas olim in his alienationibus.* — Neque invenio in antiquis historiis limitationem aliam Prælato regulari impostam in usu hujusmodi administrationis quoad alienationes talium bonorum, præter illam generalem, quæ ex natura rei est per se conveniens, ut graviora negotia sine prudentum consilio non transigantur; hæc enim alienatio rerum immobilium inter res graves monasterii merito computatur; et ideo comprehenditur sub dicta regula, quæ a S. Benedicto, cap. 3, et ab aliis exprimitur. Quantum autem et quale futurum esset illud consilium, non fuit fortasse eodem modo ab omnibus constitutum, sed unaquæque religio suam consuetudinem vel regulam servabat. Nec etiam invenio in antiquo jure canonico, ante Leonem X, peculiarem modum aut formam circa hoc præscriptam. In jure autem civili inveniuntur quædam leges imperatorum prohibentes alienationes talium bonorum, ut patet in leg. *Jubemus*, 2, C. de Sacros. Eccles., cum sequent., et Authenticis quæ ibi referuntur ex collatione 2, tit. de Non Alienandis, et collat. 9, tit. de Alienat. et emphyt. Sed illæ leges, cum essent civiles, non poterant directe ligare personas ecclesiasticas, nisi quatenus per Ecclesiæ Pontifices admittebantur, licet quoad forum externum et civile, et quoad personas laicas, vendentes et ementes talia bona, possent habere aliquos effectus. Sed circa illas leges nunc immorari non oportet, quia in hoc standum est juri canonico, quod jam sequenti capite explicabimus.

20. *Enucleatur conclusio posita num. 2.* — Ultimo vero addendum est circa dictam conclusionem exclusivam (ut vocant), num. 2 positam, non excludere concomitantia. Cum ergo dicimus solum Prælatum habere hanc potestatem, non excludimus dependentiam ejus a suo superiore, si talem habeat; sed

dependentiam a suis subditis, de qua expresse loquitur dictum caput *Nullam*. Unde cum olim Abbates regulares essent subditi Episcopis, tenebantur in hac administratione, et nihil agere contra eorum voluntatem, et in rebus gravioribus, præsertim in alienationibus earum, Episcoporum consensum expectare, ut expresse cavetur in c. *Abbatibus*, 12, quæst. 2, ex Concilio Aurelianensi III, c. 23, et in cap. *In venditionibus*, 17, quæst. 4, ex Concilio Agath., c. 56, in quo etiam advertendum est bona monasteriorum, seu religionum, semper habita esse in Ecclesia tanquam ecclesiastica, ut constat ex decretis 10, q. 2, et 12, q. 2, et 17, q. 4, per multa capita, et in Decretalibus, de Rebus Ecclesiæ non alienandis, et Cod. de Sacrosanct. Eccles., et merito, quia et monasterii ipsa loca sacra sunt, et religiosi personæ sunt ecclesiasticæ, ac bona eorum peculiariter sunt divino cultui dicata. Hinc ergo fit ut quamvis prædicta potestas esset apud Abbates, nihilominus tenerentur non uti illa contra ecclesiasticos canones, in his quæ de rebus Ecclesiæ nullo vel certo modo alienandis disponunt; nam illi non erant a sacris canonibus exempti.

## CAPUT XXVII.

DE POTESTATE PRÆDICTÆ ADMINISTRATIONIS IMMOBILIUM, JUXTA POSTERIUS JUS CANONICUM.

1. Diximus præcedenti capite de hac potestate juxta antiquum jus commune; nunc juxta posterius agendum. Dico ergo: potestas administrandi bona religionis, nunc etiam stando in jure communi, eadem est in Prælato regulari, excepta solum restrictione quæ jure canonico advecta est, quoad alienationem aliquorum bonorum. Probatur prima pars, quia ab antiquo jure non recedimus, nisi quatenus per posterius immutatum est; sed nullum invenitur novum jus commune seu Pontificium quod potestatem hactenus explicatam amplius restringat; ergo. Minor, quoad negationem quam includit, probatur, quoniam neque in corpore juris canonici, neque extra illud extat lex in universum aliquid circa hoc statuens, vel generaliter de ecclesiasticis bonis, vel specialiter de regulariis, præterquam circa alienationem rerum immobilium aut pretiosarum; de quibus, ut ad posteriorem partem assertionis veniamus, multa sunt antiqua decreta, quæ prohibent Prælati res immobiles vel pretiosas Eccle-

sia alienare; tamen omnia intelliguntur de alienatione contraria divino cultui, vel utilitati Ecclesiæ, et ideo semper intelliguntur excepti casus, in quibus vel pietas, vel necessitas, aut utilitas, causa est talis alienationis, ut notant glossa et Doctores in c. *Nulli*, de Rebus Ecclesiæ non alienandis. Tamen pro illis casibus, in quibus talis alienatio licet, verum est in Authenticis citatis inveniri specialem formam servandam in alienatione rerum ecclesiasticarum, quam multi Doctores censent semper fuisse servandam, quia erat canonizata, 10, q. 2, c. 2. At vero licet Gratianus ibi eam inseruerit, non sequitur esse canonizatam, ut constat ex materia de legibus et ideo plures Canonistæ censent neque esse, nec fuisse semper necessariam formam illius Authenticæ servare; de qua re videri potest glossa, in c. 1, de reb. Eccles. non alienandis, in 6; Glossa, Panormit. et alii in cap. *Nulli*, extra, eodem titulo; et Rebuffus, in tract. de Alienatione rerum Ecclesiasticarum, n. 2.

2. *Solemnitas alienationum quo posteriore jure fundetur.* — Omissis ergo similibus legibus, per jura canonica specialis solemnitas postulatur, sine qua Prælati religionis nequit bona immobilia aut mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, et cum illa alienare potest, nulla habita ratione aliarum conditionum, etiamsi per jus civile requirantur, ut tradunt prædicti Doctores, et Innocentius, in cap. 1, de Rebus Eccles. non alienandis, in 6; Panorm., in cap. *In presenti*, de Probat., n. 28. Et ratio facta convincit, quia hæc materia ecclesiastica est, non civilis. Primo autem fundatur necessitas hujus formæ seu solemnitatis, in cap. *Sine exceptione*, 12, q. 2, quod a Gratiano tribuitur Leoni Papæ, in epist. ad Episcopos Siciliae, non citat autem numerum epistolæ; inter epistolas autem Leonis I, solum quarta est ad Episcopos Siciliae, in qua hoc caput non habetur. Neque in tomis Conciliorum inter opera ejus refertur. Unde non mihi constat an fuerit Leonis I, vel alterius, quia neque a Gratiano notatur. Neque inter decreta vel gesta alicujus Pontificis Leonis vocati illud invenio. Ut autem in Gregoriano Decreto advertitur, alii referunt illud caput ex Leone in Concilio apud Valentias, vel ex Concilio Carthaginensi IV; sed in nullo Concilio ex Valentinis, quæ habemus, illud cap. habetur; in Concilio autem Carthaginensi IV, can. 30, ita legitur: *Ut Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.* Et c. 32 subjungitur;

*Irrita erit donatio Episcoporum, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticae, sine conventione et subscriptione clericorum.* Quæ verba habentur in ultima parte illius capituli, *Sine exceptione*; et in c. 1, de His quæ fiunt a Prælati, etc., ubi tribuuntur Concilio Valent. Cujuscumque igitur auctoris fuerit illud decretum, certum est esse authenticum, et formam in eo præscriptam esse necessariam, ex vi juris communis, prout nunc loquitur.

3. *Prima conditio ut subsit causa sufficiens alienandæ.* — *Prima causa, necessitas.* — *Secunda, utilitas.* — *Tertia causa ad secundam spectat.* — Plura autem sunt quæ in illo capite requiruntur. Primum est, causa, quæ explicatur his verbis: *Nisi forte aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, et infra, quod non sit dubium, profuturum Ecclesiæ.* Sub quibus verbis comprehenduntur quatuor causæ, quæ ab auctoribus numerantur, ut videre licet in Panormitano, et Rebuffo, supra, ex Glossa, in Summ., 12, q. 2. Prima est necessitas, quæ a fortiori comprehenditur sub utilitate. Secunda est utilitas, quæ solet etiam appellari necessitas, ut philosophi dicunt, ad melius esse, et ita existimo quoad hæc duo capita jura indifferenter loqui, ut patet ex dicto c. *Sine, c. Sicut, c. Non habenti, 12, q. 2, et c. Ut super, de Rebus Eccles. non alien., et in Authen. Hoc jus, Cod. de Sacros. Eccles., 10, q. 2.* Tertia causa dicitur esse quando res est incommoda Ecclesiæ, c. *Terribiles, 12, q. 2., et c. Fugitivi, de Rebus Eccles. non alien.* Sed hæc quid est nisi quædam utilitas? Si enim rem utilem pro utiliori commutare magna utilitas est, d. c. *Super, § 1, etiam rem inutilem in utilem convertere, vel damnosam dividendere, utile est; nam hoc ipsum, scilicet vitare damnus, est quædam utilitas. Non enim existimo rem immobilem, quantumvis inutilis vel damnosa videatur, ita licere dividendere, quin, si commode fieri possit, alia illius loco substituatur, quæ nonnullam utilitatem afferat; quia, ut dicitur d. c. *Sine exceptione, illud semper eligendum est, quod sit profuturum Ecclesiæ; semper autem talis commutatio est profutura, si fieri potest.**

4. *Instantiæ occurritur.* — Dices: interdum potest res ita esse inutilis, ut nec vendi possit, nec commutari pro alia utili; tunc ergo licet talem rem donare absque alia utilitate. Respondeo primum, si habere talem rem esset onerosum religioni, quia nimirum in conservanda illa aliquid expendit, tunc jam esset utilitas in ea donanda, quia vitare expensas infructuosas

utile est; sed hoc vix accidere potest in rebus immobilibus, sed solum in se moventibus, quæ, quando hujusmodi sunt, tam parvæ æstimationis sunt, ut non pertineant ad bona de quibus agimus. Si autem res immobilis sine ullo damno, vel incommodo, monasterio sub ejus dominio conservari posset, quantumvis inutilis videatur, non potest, ut opinor, liberaliter donari sine aliqua commo-ditate, vel morali utilitate monasterii, tum quia habere illud non nocet, et quod nunc videtur inutile, in aliqua occasione poterit esse utile; tum etiam quia, ut causa sit legitima, non satis est quod alienatio non sit inutilis, sed oportet ut sit utilis, ut jura citata docent, et ideo inter res utiles non licet commutare æqualem pro æquali, licet aliquid commodi inde monasterio accrescat; omnes ergo hæc causæ sub una utilitate continentur.

5. *Ultima causa, pietas.* — Addunt vero auctores citati aliam causam, scilicet, pietatem, qualis est, verbi gratia, redemptio captivorum, nam pro illa dicunt posse bona Ecclesiæ alienari, quod probant ex leg. *Sancimus, C. de Sacros. Eccles., ibi: Excepta videlicet causa captivitatis et famis; nam si necessitas fuerit (inquit) in redemptione captivorum, tunc venditionem præfatarum rerum divinarum, et hypothecam, et pignorationes fieri concedimus, quoniam non absurdum est animas hominum quibuscumque vasis vel vestimentis præferre.* In qua lege solum est sermo de rebus mobilibus; expendi autem possunt illa verba, *quibuscumque vasis et vestimentis*, nam plane extenduntur ad res pretiosas quæ æquiparantur immobilibus; expresse vero in Authent. de Alienat. et emphyt., tit. 3 de Alienatione et emphyteusi, c. 9: *Sanctissimas, dicitur, Ecclesias, seu æconomos civitatum præcipimus alienare res immobiles pro captivorum redemptione, nisi sub hac conditione possessiones aliqui dederint, ut nullo modo has alienent.* Sed hæc leges cum ecclesiasticæ non sint, non possunt de rebus Ecclesiarum disponere, et ita non videtur illis standum, nisi vel quatenus ipsum jus naturale et divinum explicant, vel canonibus consentaneæ sunt. Invenimus autem illas leges canonizatas per jura canonica, c. *Sacrorum, 12, q. 2, ubi Gregorius ait: Sacrorum canonum statuta, et legalis auctoritas permittit, licite res ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi.* Similia verba habet lib. 6, epist. 35, c. 499, et apud Gratianum supra, c. *Et sacrorum.*

6. *Ministeria Ecclesiæ vasa sacra vocantur.*

— Sed oportet caute exponere verbum illud *Ministeria Ecclesiæ*; non enim est sensus, ecclesiastica munera aut actiones vendi posse propter opera misericordiæ, constat enim illud non licere; sed vasa sacra, quia ad divina ministeria deputata sunt, ministeria nuncupavit, ut patet ex verbis infra sub-junctis: *Si de prædicta Ecclesia usuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiet, alioqui de sacratis vasis vos hac in re eam, quam prædicimus, qualitatem præbere necesse est; nam sicut omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria vendere, sic iterum culpa est, imminente hujusmodi necessitate, res desolata Ecclesiæ captivis suis præponere, et in eorum redemptione cessare.* Quod etiam eleganter prosequitur Ambrosius, lib. 2 de Offic., cap. 28, et habetur apud Gratianum, c. *Sicut, c. Aurum, q. 2.* Ex prædictis autem verbis constat, hunc casum comprehendere sub Ecclesiæ utilitate, imo etiam necessitate, ut Gregorius in citatis verbis satis declaravit, recteque comprehenditur hæc causa in dicto c. *Sine exceptione, in verbis illis, Ut meliora prospiciat.* (Vide Molin., t. 2 de Just., d. 468, et Covar., l. 2 Var., c. 16, n. 8 et 9.) Addit quintam causam Hostiensis, in Summa, tit. de Rebus Eccles. non alien., scilicet æquitatem, ex c. *Ad aures, eod. tit.* Verumtamen in illo etiam textu major Ecclesiæ utilitas considerata, est ut patet ex illis verbis: *Nisi forte tunc aliis possint ad majorem Ecclesiæ utilitatem cum eodem labore et onere conferre.* Solum ergo potest ratio æquitatis facere, ut cum æquali Ecclesiæ utilitate is præferatur, cui alia ratio æquitatis favet.

7. *Hactenus explicata conditio est juris naturalis.* — Atque hæc conditio ita explicata per hæc omnia membra non tam est positivi juris, quam divini et naturalis, quod quidem verum est de quocumque Prælate ecclesiastico, quantum ad bona ipsius Ecclesiæ, quorum ipse non est dominus, sed dispensator; multo vero magis in Prælate regulari propter paupertatem, quam proficitur. Additur vero ex positivo jure necessarium esse ut de hac causa constet per publicum instrumentum ad hoc specialiter factum, ita ut non sufficiat hoc inseri in instrumento alienationis. Ita docent Dominicus, Philippus, Socinus, et Guido, quos refert et sequitur Rebuffus supra, n. 10. Hanc vero solemnitatem non invenio expressam in d. c. *Sine exceptione*; ipsi vero allegant cap. 1, de Rebus Eccles. non alien., in 6, cujus verba sunt: *Præsertim cum evidens necessitas quare fieri deberet, vel utilitas non*

*subesset.* Ex quibus non video quomodo illa peculiaris conditio et solemnitas colligatur, nam ibi solum requiritur ut vere subsit evidens necessitas et utilitas; quod autem hoc constare debeat per speciale instrumentum, ibi non dicitur, neque ego invenio aliud in jure expressum; durum autem est admittere conditionem ut necessariam ad contractus valorem vel honestatem, quam jura non exprimunt. Præsertim, quia in c. 2, de Rebus Eccles. non alien., in 6, solum postulatur ut alienatio fieret *in forma, et casibus a jure permissis*; casus autem sunt supra numerati, circa quos, ut de illis constet, nulla forma ponitur in jure, sed circa alia, quæ statim dicemus. Quocirca, nisi consuetudo fortasse obstet, videtur probabile, ex parte causæ sufficere quod in re subsit, et sufficienter possit de illa in judicio constare, sive per speciale instrumentum, sive aliis modis. Ad quem autem pertineat probare hujusmodi utilitatem Ecclesiæ, si forte post alienationem lis exorta sit, videri potest in citatis auctoribus, et præsertim in Covarr. lib. 2 Variarum, c. 17; ad nos enim non spectat.

8. *Secunda conditio alienationum immobilium bonorum.* — Secundo, ut recte fiat alienatio, necessarium est ut ante illam præcedat tractatus, d. cap. *Sine exceptione, ibi: Et cum totius cleri tractatu et consensu, et in c. 1, de Rebus Eccles. non alien., in 6, quædam concessio reprobat, quia tractatus solemnibus, et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem.* Est autem tractatus mutua collatio conventus, seu capituli, de necessitate vel utilitate alienationis; unde ad illum convenire debent omnes, qui circa talem alienationem suffragium habent, nam eorundem petitur tractatus, quorum consensus postulatur. Oportet etiam (juxta communem interpretationem) ut tractatus fiat inter religiosos vel clericos capitulariter congregatos, ita ut non sit satis separatim cum singulis rem tractare, aut per litteras cum eis conferre, nisi in unum conveniant, et inter se conferant, nam et verba jurium hoc indicant, et juvat c. *Tertio loco, de Probationibus, et res ipsa ita postulat, ut convenienter agi possit, et Doctores consentiunt, ut patet ex superius citatis. Addit Rebuffus, supra, numero suo 12, debere fieri speciale instrumentum de hoc tractatu, quod in jure non invenio expressum, et ideo non judico esse necessarium in foro cons-*

cientiæ; tamen in exteriori praxi sequendus est usus et communis sententia; existimo tamen sufficere quod in eodem instrumento alienationis narretur tractatus præcedens, non tantum præsupponendo, sic enim oportebit ut alia via de suppositione constaret; sed narrando illum, et dando fidem illius, ex sententia capituli, quæ ex illo resultaret circa utilitatem alienationis; et fortasse juristæ nihil aliud intelligunt.

9. *Tertia conditio.* — *Unus actus pertinens ad hanc tertiam conditionem.* — *Alter actus.* — Tertia conditio est consensus capituli in talem alienationem. Patet ex citatis verbis c. *Sine exceptione*, et ex aliis statim citandis; unde quoad hanc partem multum diminuta est potestas Prælati, quia non est monarchica, sed conjuncta cum aristocratia. Ratio autem seu congruentia hujus juris fuisse videtur, ut difficilior fieret hæc alienatio, et quia fortasse Prælati abutebantur potestate quam antea in solidum habere solebant, et, si petebatur consilium seniorum, vel capituli, non erat decisivum, sed consultivum; juxta hanc vero formam omnes de conventu habent suffragium decisivum. Unde duo actus hic distinguendi sunt, unus pertinens ad tractatum, alius pertinens ad ipsum contractum alienationis. Prior pertinet ad intellectum seu judicium, per illum enim quasi fertur sententia quod talis alienatio expediat, vel necessaria sit monasterio, ad hanc enim ordinatur tractatus, et, si in ea Prælati non confirmaretur capitulo, saltem pro majori parte, non esset ultra progrediendum, quia jam deesset justæ alienationis fundamentum, nec posset rationabiliter postulari consensus in alienatione, ab his qui eam convenientem non esse judicassent. Alius actus est voluntatis, quia proprie nomine consensus significatur, et est voluntas quod talis alienatio fiat; potest enim aliquis judicare utile esse monasterio ut fiat alienatio, et nihilominus nolle ut hic et nunc, vel cum tali persona fiat, propter extrinsecos respectus, vel rationes; propterea ergo requiritur consensus in ipsamet alienatione. De quo consensu, quomodo debeat exprimi in instrumento per propria nomina, et subscriptiones singulorum, et de aliis circumstantiis ejus, videri possunt auctores citati.

10. *Explicatur hic posterior actus.* — Quod ad nos spectat, solum est advertendum requiri simul consensum Prælati, et capituli. Ut autem capitulum consentire dicatur, non

est necesse ut omnes de capitulo consentiant, sed sufficit major pars, ut ibi glossa advertit, nam quod a majori parte fit, censetur a toto fieri, ut supra, capit. 5, tractando de electionibus, diximus; si autem saltem magna pars non consentiat, etiamsi plures cum Prælati velint, nihil poterit, quia tunc verum non est, capitulum consensisse; e contrario vero, quamvis totum Capitulum, excepto Prælati, consentiret, non posset alienatio fieri, ut est communis sententia Doctorum quos retuli, quia utriusque simul, Prælati scilicet et capituli, consensus necessarius est. Item, quia per hanc formam non privatur Prælati sua potestate, sed solum limitatur ne possit illa uti sine consensu capituli, ut aperte colligitur ex juribus citatis; ergo semper necessarium est ut interveniat auctoritas et potestas Prælati, quod esse non potest sine consensu ejus. Tandem ob hanc causam, sede vacante, non potest capitulum cathedralis Ecclesiæ bona ejus alienare, ut constat ex c. 1, de Rebus Eccles. non alien., in 6, ubi glossa advertit idem esse in minoribus Ecclesiis, c. *Si qua*, et c. *Precariæ*, 12, q. 2. Hujus autem ratio inter alias est, quia auctoritas Prælati est maxime necessaria ad hujusmodi actum; ergo quando Ecclesia non vacat, fieri non potest sine consensu ejus.

11. *Quæstiuncula insurgens.* — *Auctoris probabilis resolutio.* — Solum quæri potest, si contingat in capitulo paria esse suffragia præter Prælatum, et inter se æqualiter dividi, an id sufficiat ut, accedente consensu Prælati, fieri possit alienatio; videtur enim non satis esse: quia capitulum in hoc negotio debet considerari ut distinctum a Prælati, nam jura dicunt, Prælatum non posse hoc facere sine consensu capituli; et e converso dicimus consensum totius capituli sine Episcopo non sufficere; considerantur ergo capitulum et Prælati tanquam duæ personæ distinctæ, quarum consensus simul necessarii sunt; sic autem considerando capitulum non potest dici in eo casu consentire, quia major ejus pars non consensit. Nihilominus probabilius videtur, saltem in religionibus, ubi capitulum non ita condistinguitur a Prælati, sicut in cathedralibus Ecclesiis, illum consensum capituli sufficere, quia Prælati est pars capituli, et ideo absolute verum est tunc majorem partem capituli, et consequenter capitulum ipsum consentire. Neque est inconveniens quod Prælati suo consensu operetur, et ut pars habens suffragium in capitulo, et

ut caput, et superior sua fungens potestate; atque idem censeo de quocumque capitulo, in quo Prælati eodem modo præsideret. Alia multa possent de his conditionibus tractari, quæ omitto, quia pertinent ad universaliorem materiam de bonis ecclesiasticis, et quia unaquæque religio hæc observat, ut statim dicam, juxta privilegia sibi concessa; videri ergo possunt in citatis auctoribus, præsertim in Panormitano, in c. 1, et c. *Tua*, de His quæ fiunt a Prælati, etc.; Geminiano, et aliis, in c. 1 de Rebus Eccles. non alien., in 6.

12. Solum ergo addendum est, pro regularibus Prælati jure novo confirmatum et declaratum esse illud antiquum jus, in Clemen. unic., de Rebus Ecclesiæ non alienandis, ubi omnibus religiosis, monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi cujus præsentibus, prohibetur hæc alienatio, nisi necessitas aut utilitas monasterii, Prioratus, Ecclesiæ, aut administrationis hujusmodi hoc exposcant, conventus sui, aut, si conventum non habeant, Prælati proprii assensu ad hoc nihilominus accedente. In quo jure solum superest explicanda illa ultima conditio, quæ additur, quando deest conventus: tunc enim solius Prælati consensus postulatur. Ex quo imprimis videtur a contrario sensu colligi, quando Prælati, aut Prior habet conventum, tunc, si uterque consentiat, non esse necessarium consensum superioris Prælati. Probat, quia hic specialiter postulatur quando deest conventus; ergo, quando non deest, sufficit consensus ejus, sine consensu superioris Prælati.

13. *Objectio.* — Sed contra hoc objici potest, quia Prælati non exemptus non potest aliquid alienare sine consensu Episcopi, etiamsi conventus consentiat, ut colligitur ex c. *Abbatibus*, 12, q. 2, et c. *In venditionibus*, 17, quæst. 4, et tradit glossa recepta in Summa, 12, q. 2; Prælati autem conventualis exemptus indiget consensu sui Provincialis, quem habet loco Episcopi, nam, cum sit exemptus, in illo consensus Episcopi necessarius non est, ut notavit Turrecr., in dicta Summa, in princ., 12, quæst. 2; tamen loco illius est necessarius consensus sui Prælati. Respondetur ad priorem partem, in dicta Clementina non requiri in eo casu consensum superioris Prælati; et ita ex vi illius non esse necessarium consensum Episcopi; tamen, quia illa non revocat antiquum jus, nec de hoc aliquid positive disponit, ideo, ea non obstante, verum esse communem sententiam. Nam argumentum in contrarium, licet sit efficax ad pro-

bandum, ex vi illius non postulari talem consensum, non tamen est efficax ad probandum non requiri ex vi aliorum jurium. Atque idem dicendum est ad posteriorem partem, quæ per se est consentanea juri communi, quatenus Provincialis vel Generalis vicem Episcopi tenet respectu monasterii exempti; nihilominus tamen illud pendet ex proprio jure uniuscujusque religionis. Ubi autem nihil in contrarium statutum fuerit, prædictum jus commune servandum est, adeo ut Archidic., Hostiens. et alii, quos refert et sequitur Rebuff. supra, n. 85, non valere consuetudinem in contrarium dixerint.

14. *Circa postulandum consensum Prælati superioris, dubium unum.* — Circa eandem vero partem, quatenus postulat consensum superioris, quando Prior vel administrator non habet conventum, interrogari potest primo an Prælati superior vel Episcopus possit solus consensum præstare, vel simul debeat concurrere capitulum Ecclesiæ vel monasterii, cui talis Prælati præest. Et ratio dubii esse potest, quia, juxta formam c. *Sine exceptione*, Episcopus non potest alienare bona Ecclesiæ sine consensu capituli, quæ forma non est revocata per dictam Clementinam. Respondetur nihilominus, ex vi illius textus non requiri consensum nisi solius Episcopi, verbi gratia. Quam sententiam significant Geminianus, Perusius, Speculator, quos refert et sequitur Rebuffus supra, n. 88, ubi allegat etiam alia jura. Sufficiunt tamen verba ejusdem Clementinæ, quæ solum requirit consensum Prælati proprii; nec oportet addere onus quod lex non addit. Nec ex vi antiqui juris id erat necessarium, nam in dicto c. *Sine exceptione*, expresse dicitur: *Ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ*: unde omnes colligunt, ad alienanda bona inferiorum Ecclesiarum non requiri consensum capituli Ecclesiæ cathedralis, sed Episcopi et eorum ad quos pertinet proxima cura talium Ecclesiarum. De quo possunt optime intelligi ultima verba ejusdem textus, quæ generalius loquuntur de alienatione rei ecclesiasticæ, et prohibetur fieri ab Episcopo, *absque conniventia, et subscriptione clericorum*. Quæ intelligenda sunt respective, id est, clericorum uniuscujusque Ecclesiæ, vel unius tantum, si plures non habuerit. Ergo, si Ecclesia fuerit regularis, et, si conventum non habuerit, etiam ex vi illius textus sufficit consensus Episcopi et Prioris.

15. *Dubium alterum per distinctionem duplicis casus resolvitur.* — *Quid in posteriori* —